DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ASCITE.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
ASCITE:
QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
JOANNES M'DERMENT,
SCOTUS.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, et aquosus albo
Corpore languor.
HORACE.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JOANNES MOIR.
MDCCCXXV.

GULIELMO COWAN, ARMIGERO,

MUNICIPII AERENSIUM NUPER PRAEPOSITO,

VIRO,

NON MINUS PROBITATE AC CONSILIO

IN MUNERIBUS PUBLICIS OBEUNDIS,

QUAM FIDE ET BENEVOLENTIA PRIVATIM

ORNATO,

OB PLURIMA IN SE BENEFICIA,

AC PRAECIPUE IN PATREM

COLLATA,

HAS QUALESCUNQUE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS,

QUAE GRATUM CERTE ANIMUM TESTENTUR,

SUMMA OBSERVANTIA

DEDICAT

AUCTOR.

PATRI CARISSIMO

GULIELMO M'DERMENT,

PIETATIS AMICITIAEQUE PIGNORI

HOCCE OPUSCULUM

MITTIT

FILIUS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ASCITE.

AUCTORE JOANNE M'DERMENT.

Ad quamcunque machinae animalis partem oculos vertimus, summa consilii fabricationisque admiratione percellimur: adeo apte omnia muneribus suis accommodantur, adeo accurate et intime omnia cum omnibus et cum universa compage connectuntur, ut cuivis reflectenti manifestissimum sit, nihil citra infinitam summi numinis sapientiam eam, aut excogitare, aut absolvere potuisse.

Nullae tamen mirabilis hujus machinae partes divinam opificis prudentiam magis lucu-

lenter indicant, quam reciprocam ista inter compagines secernentes ac absorbentes aequilibrium delicatissimum, quo vascula alterius semper excessibus resorbendis accuratissime sufficiunt. Nec alia ratione, corpori crescenti rite fingendo, supervacaneis particulis remotis, eadem vascula mirifice inserviunt.

Si vero alterutera ex his series impedita vel laesa, atque aequilibrium adeo impense necessarium eversum fuerit, tum multorum malorum, quorum gravissima ea sunt, quibus aqua in cavitatibus interstitiisque corporis collecta, nomen Hydropis imposuit, prima fundamenta jaci solent.

Haud quaquam vero in hac dissertatiuncula, omnes Hydropes complecti animus aut locus est; ascite, brevi historiolâ adjecta, a nobismetipsis curata, contenti esse decrevimus.

MORBI HISTORIA.

Celeberrimus Gulielmus Cullen Ascitem sub ordine Intumescentiarum, qui ex classe Cachexiis est, his verbis definit: "Ascites." "Abdominis intumescentia tensa vix "elastica, sed fluctuosa."

Haec definitio morbum satis designat; aliquando autem tumor solito magis resiliens est, sed tum fere cum Tympanite conjuncta est. Quod ad fluctuationem attinet, saepe non tantum distincte sentiri, sed etiam exaudiri potest, ventrem leniter palpando in altera parte, dum alteri manus palma admota est; praesertim cum humor in cavo abdominis est. Sed cum is in cystide, seu sacculo inclusus est, rara tum fluctuatio ejus discerni potuit; quae res discrimen inter duos Ascitas insigne constituit.

Ascites omnium Hydropum frequentissime occurrit, tanta est cavi abdominis amplitudo, tanta est cum hepate, aliisque visceribus mag-

nis, necessitudo. Hoc nulla aetas, nullus sexus immunis est; adolescenti, viro, seni contingit; saepius tamen propter laxata bonae valetudinis fundamenta, provectioribus aetate exoritur. Puellis chloroticis crebro occurrit, quippe quarum fibrae tum supra modum molles et relaxatae sint; quibus, contra, fibrae tensae firmae, rigidae, vix unquam occurrit.

Ascites abdominalis, de quo agere nobis animus est, in sacco vel cavo peritonaei situs est, humore ejus cum omni motu hinc illinc fluctuante. Saccatus vero fere semper saccum sibi proprium, aliquomodo natum ac prominulum intra cavum peritonaei; quamvis facie hujus aspera fere incipiens. Ovarium sedem ei familiarissimam praebet, sed de ista longe rariore morbi formâ ultra disserere supervacaneum est.

Ascitem fere praecedunt languor, inertia, motus exercitationisque cujuslibet odium et fuga; sitis, oris, linguae, cutis ariditas; pulsus plerumque lentus, debilis, sed aliquando velox; cupiditas cibi imminuta; urina parca; alvus adstricta; menstrua in foeminis aut sup-

pressa, aut abnormia; praecordia oppressa; tussis; respiratio difficilis.

Tum tumor apparet plerumque in regione hypogastrica, sed saepius oedemate extremorum inferiorum, quod per membra ascendit, donec ventrem adveniat. Morbo autem provectiore, cum copia humoris augescit, vultus speciem turgidam quasi cerei coloris induit, memorabilis totius corporis perturbatio fere observatur. Aliquando dolor obtusus lateris dextri ad humerum suum tendit, insignis macies, viriumque prostratio adsunt. Dyspnoea saepe molestissima est; copia urinae valde exigua, atque si cum viscerum morbis juncta sedimentum lateritium demittens; si vero malum a debilitate natum sit, urina limpida, pura est, et auctore Blackall, calore 160° F. nec nimis chemicis indiciis coagulatur.

Hoc modo nonnullis morbus citissime, in aliis lentius progreditur; venter supra modum tumescit, tenditur circa umbilicum faede prominens: atque nisi idoneis atque tempestivis remediis, aut rarissimo quodam profluvio spontaneo a renibus, alvo, ventriculo, cute, malo

occursum fuerit, miser fractus, fatigatus, tandem fato exhaustus succumbit.

Ascites idiopathicus rarior effectus est; cum enim debilitas generalis hydropem inductura est, plerumque anasarcam gignit. Bene quidem scripsit HEBERDENUS, " Hydropem minus ipsum morbum esse, quam morbi alicujus signum." Ascitae vero hepatis induratio comes frequentissima est, nec raro id trans parietes abdominis distincte amplificatum protuberansque contactu percipi potest, speciatim post aquas paracentesi emissas. Sed hepar induratum saepe descrescit, nec ideo abesse judicemus, si infra costas sentiri nequeat.

Doctores BLACKALL et WELLS pathologiam hujus morbi multum illustraverunt docendo urinae hydropicorum plurium, *serum, albumen, ipsum sanguinem,* res nullo alio morbo inibi visas, inesse, (quae res maciem atque debilitatem hydropum magnam satis explicare videtur.) Quamvis enim haec elementa urinae inesse, etiam Cotunnio olim innotuerat, et in analysi quam Fourcroy et Vauquelin ediderunt sigillatim memorata sint, neque minus

distincte a clarissimo CRUIKSHANK, Doctores BLACKALL et WELLS primi usui medico, rem applicaverunt. Neque jam etiam ab rei investigatione quiescendum, BLACKALL putat; imo curationem investigatione ulteriore admodum adhuc promovendam esse.

DE CAUSIS.

FREQUENTISSIMA causa Ascitae praedisponens, inordinatus, atque diuturnus spirituum distillatorum usus est, qui munera ventriculi et hepatis perturbare tendunt, quique iterum systemata absorbentia et secernentia perturbare tendunt, ideoque in effusiones hydropicas tendunt. Victus parcus, insalubris, aquosus, concoctionem impediendo, et sanguinem attenuando, causa quoque praedisponens est. Febres intermittentes atque remittentes, quae diu protractae in chronicis hepatis splenisque affectibus, praesertim hujus desinunt, atque circulatione obstructa, saepe viam ad morbum gravem struunt. Polypi, aneurysmata

cordis vel aortae ossificatio, motu sanguinis impedito, aliquando ad morbum praedisponunt: saepius tamen hydrothoracem, quam ascitem generant. Congestio in venis hepatis ascitem saepe arcessit, nisi aucta secretione ablata. Icterus praesertim, calculis biliaribus inductus, causa excitans occasionalis est.

Frigus vel humiditas corpori diu admota, haustus aquae frigidae, dum perspiratio adest, aliquando gignunt, et cum ab hac causa exortus ascites, omnium citissime invadit. Diarrhoea et Dysenteria quoque morbum generant. Gregorius olim Doctissimus in praelectionibus suis memorare consuevit, se nunquam ascitem pertinaciorem vidisse, quam in juvene quodam ex catharsi nimia, quam fecerat purgans nimis acre. Scarlatina etiamsi prudenter curata, in effusiones hydropicas, praesertim anasarcam, sed subinde in ascitem desinit. Secundum Doctorem Armstrong lenem peritonaei inflammationem, vel hepatis obstructionem, causam agnoscit, quandocunque scarlatinae supervenit. Cursus mercuriales repetiti, systemate vasculoso debilitato, subinde morbum

inducunt. Haemorrhagiae profusae, vel quaelibet e corpore profluvia, tenuitatem sanguinis gignendo, ascitem quoque saepe inducunt. Subita longarum evacuationum suppressio, eruptiones, podagrae, aliaque causae occasionales fuisse dicuntur. Causa omnium generum hydropis proxima videtur esse major copia seri secreti quam absorbentia resumere possint.

DE DIAGNOSI.

Nonnunquam haud ita facile inter ascitem et hydropem saccatum distinguitur. Si tamen fluctuatio nulla sit, valetudo generalis parum affecta, hydropem saccatum subesse credas; si contra, febris ingens est, sitis, secretionum diminutio, macies insignis, debilitas, dyspnoea; maxime si cum oedemate pedum, tumoris evidente fluctuatione, quin morbus in cavo abdominis sedem habeat, nullo modo dubitari debet.

Aliquando tamen inter uterum gravidum et ascitem distinguere difficile est; eo magis quod

medicus falli possit, faeminis idcirco menstrua false repraesentantibus. Quinetiam mulieribus veracissimis menstrua saepe omnino cessant, saltem in ascite valde abnormia sunt, quum hic debilitate oriundus est. Fluctuatio tamen in abdomine nulla, corporis pinguitudo, forma mammarum globosa, color areolae perfusca, figura etiam tumoris abdominis peculiaris, statu menstruorum rarissime decipit.

Ascites facile a tympanite generali distinguitur a majore resiliendi gradu. In pauculis tamen una occurrisse visi sunt.

Ascites etiam a physconia facile discernitur, tumoris nempe inaequalitate; qui tamen "nec "fluctuans nec sonora est."

DE PROGNOSI.

Ex toto prognosis valde infausta formanda est, quum morbus adeo saepe sympathica sit et causam excitantem (plerumque scirrhum hepatis splenisque) tollere oportet, priusquam curationem certam efficere queamus. Hoc au-

tem saepe perdifficile est, et conamina nostra omnia saepe frustratur. Alia prognosis infaustae causa potentissima est, in permultis exemplis, corporis constitutio vehementer laesa et fracta. Incerta quoque diureticorum medicaminum praecipuorum, in morbo curando operatio, ut urina saepe aucta fuisse videatur, sine ullo abdominis tumore facto. Nihilominus, secundum Doctorem Gregory, si haec proficiunt, plerumque aquae hydropis emoliri possumus, saltem pro tempore: et plerumque quoque urinae incrementum, tumoris decrementum pro portione sunt. Celsus scribit, "si plus humoris excernitur quam assumitur, ita demum secundae valetudinis spes est." Adjici potest, quod si vires non valde exhaustae sunt, aeger juvenis, morbus sine affectu organico, a frigore vel perspiratione suppressa oriundus, vel ab haemorrhagiis, generali debilitate absorbentium vel secernentium torpore; ubi corporis universi tandem nulla perturbatio generalis est, ascites plerumque curari potest.

Sed contra, cum corporis constitutio, usu liquorum destillatorum nimio vehementer

laesa est; aut alia causa nervos relaxante, vel praegresso morbo: cum aeger annis provectus est, sed maxime cum ascites malo organico ut scirrho hepatis connexus est; ubi ingens corporis perturbatio, tum prognosis admodum infausta.

DE SIGNIS, CADAVERE INCISO, VIDENDIS.

Frequentissima sunt amplificatio, induratio hepatis lienisque scirrhus. Hepar quidem hydatibus plenum, et supra modum distentum aliquando visum est. Vesicula fellis, glandulae mesentericae, pancreas morbidae quoque repertae sunt. Polypi, ossificationes, &c. cordis, vasorumque magnorum quoque inventae sunt. In universum, viscera, et fibra musculosa singulariter pallent, exsanguia, flaccida. Blackall adjecit, notas inflammationis in peritonaeo, aliisque visceribus, subinde reperiri.

DE CURATIONE.

Praecipuum consilium est causas praedisponentes et excitantes removere. Nisi enim id efficere valeamus, humor etiamsi semel profusus rursus colliget.

Remedia adhibita in Ascitem sunt Diuretica, Hydrargyrus, Cathartica salina, drastica; Vomitoria, Sudorifica, Sanguinis Missio, Vesicatio, Roborantia, aliaque.

Diuretica.—Hujus classis medicaminum theoria profunda caligine mersa est: atque successus valde precarius in hydrope curando, quoniam debilius saepe effectum illum diureticum, quem fortius nequiverat, saepissime praestare videamus. Sic compositio calomelanos cum scilla, quousque ventriculus tulit, producta est, sine tamen effectu, licet haec ipsa omnium diureticorum practicis utilissima appareat.

In morbo adeo saepe symptomatico, remedia frequentissime componuntur; utpote quae

tum longe potentiora simplicibus evadant. Quando morbus conjungitur affectibus hepatis, lienis et similibus, submurias hydrargyri auxilium scillae aut digitalis perutile fit. Praeter enim efficaciam ejus, super eorum viscerum morbos, promovet absorptionem, adeoque aliorum diuresin adjuvat. Itaque haec compositio non secernentem tantum, sed excernentem quoque effectum exercet. Contra, cum morbus ex sola debilitate generali oritur, roborantia cum diureticis conjungi debent.

Dosis Scillae non nimis rapide augeri debet: saepe enim nauseam vomitumque gignere invenimus, effectus diuresi movendae inimicissimos; semelque inductos, cohibitu difficillimos. Si paululum vero suspensa fuerit scilla, renovatae denuo dosis longe minor quam ante sufficiet. Hoc medicamentum, perinde ac digitalis eo praescriptum est, ut nauseam, viriumque prostrationem, demum absorptionem superinducat. Hujus rei causa, a Jenner et Hume usurpatum. Hic quidem memorat septem pessima ex decem exemplis se per scillam ita ad valetudinem perduxisse: quinque

per aestatem, duos per hiemem. Hydrops quidem fere, semper aestate medico parentior est quam hieme. Plus tamen vi diuretica scillae communi, quam nauseosa illa longe fidendum est; (ut Doctissimus ALISON, Prael. de Therap. docet.) Scilla plerumque utilissima inventa est in iis exemplis quibus urina sature colorata sedimentum lateritium demittit. Sed utilis quoque identidem apparuit ubi urina vero limpida et calore caeterisque coagulabilis est. Aliquando maximam generat debilitatem, praesertim virium concoctioni inservientium; quo casu abstineri debet. Effectus diureticus, calomelane adjecto vehementer augetur.

Digitalis secundum Doctorem WITHERING atque illustrem equitem, MACLEAN, cum corpus valde collapsum infirmatumque fuit, haec omnium potentissima est, quae facultas viribus plantae sedantibus parum quadrare videtur; neque tantum quantum ipsi cecinerunt prodesse inventa est, etiamsi saepenumero perutilis. Sic quoque in hydrope scarlatinae superveniente, praesertim cum urina calore

cogeretur, efficacissima est. Si cautione in scilla administranda opus sit, majore adhuc digitalis eget, cujus vel minimus excessus graviter periculosus, tantamque plantae abominationem movet, ut aegris eam resumere raro persuaderi possit. Plerumque iis porro exhibetur quibus summa debilitas dose aequo majore opprimi potest. Praeterea, vires ejus narcoticae, si confirmatae sunt, raro vim diureticam agere sinunt.

Aether Nitrosus bifariam profuit, utpote qui effectum scillae et digitalis nauseosum evertat, vires diureticas promoveat. Aliquando commode exhibetur, cum ab effectu scillae seu digitalis debilitante nauseam movente, earum administrationem pro tempore intermittere cogimur.

Cantharides, Colchicum, Tabacum, Juniperus, Spartium, omnia exhibita sunt, nec raro utiliter, praesertim spartium quod nonnunquam post remedia potentiora frustrata morbum curavit.

Calomelas fere scillae conjunctum exhibetur, sed in iis praecipue hydropibus, qui ad hepatis lienis caeterorumque morbo chronico nati

sunt, utile inventum est. Contra, nullo discrimine, et summa debilitate laborantibus ingestum, saepe pessimos, nec raro edidit effectus lethales.

Purgantium Drasticorum, quae hydragoga appellantur fere adhiberi solent, praesertim jalapa, scammonia, gambogia, elaterium. Fere optimè operantur bina vel terna in compositione. Purgatio in hydrope utilissima ubi debilitas et macies non magnae sunt, signave inflammationis comitantur. Cum vero homo valde emaciatus, collapsus, diureticis potius quam catharticis fidendum erit. Molestissima diarrhoea nonnunquam sponte in cursu morbi decedit, (CULLENI, Prim. Lin.) cui purgantia acria valde noxia essent.

Purgantia Salina.—Ex his Supertartras Potassae frequentissime exhibitus est, nec raro utilissime, praesertim cum hauritur ad unciam in die. Diuretica quoque potentiora adjuvat, corpus refrigerat, sitimque hydropico adeo molestam, restinguit. Nitras Potassae, Subcarbonas Potassae, Acetas Potassae, et similia minus potentia sunt, sed aliquando profuerunt.

Quando Ascites a Diarrhoea vel Dysenteria suppressa ortus est, prudens medicus excretionem membranae intestinorum mucosae priorem restituere conabitur, purgantibus salinis propinatis.

Vomitoria.—Quod constet, paucula ascitae exempla per humoris e ventriculo ejectionem terminata esse, nonnulli, sed sine magno profectu, vomitoria hydropicis exhibuerunt.

Sanguinis Missio protinus ab initio, viribusque adhuc integris, utilissime adhibita est ; sanguine etiam crustam coriaceam ideoque inflammationem monstrante. Hoc autem auxilio cautissime utendum est.

Sudorifica nonnullis quam alia quaelibet remedia tentata plus valuerunt, praesertim in morbo a frigore concepto, vel perspiratione suppressa. Balneum calidum, catharticis, aliisque probe auxiliatur remediis si quando ascites scarlatinae supervenerit.

Roborantia.—Quum morbus debilitate generali, vel exinanitionibus profusis, originem duxerit tum praesertim Cinchona, Amara, Chalybeata, plerumque proderunt, diureticis conjuncta.

Abstinentia apud CELSUM memoratur utpote quae rigidissima paucos aliquos sanarit, et Clarissimus RUSH, quo absorptionem moveret fame in nonnullis hydropicis, et cum curatione morbi, usus est.

Vesicatoria, Setacea, Frictio Hydrargyri, Olei, multaque alia, et aliquando felicissime tentata sunt.

Paracentesis licet raro morbum radicitus abolitura, plerumque morbum allevat. Nihilominus humor nonnunquam citius quam ante operationem accumulare observatur. Ut nulla impedimenta aliena superanda huic obstent, protinus sub morbi initio, saltem maturius quam vulgo celebrari debet. Purgantia et roborantia postea danda sunt, ad curationem absolvendam. Linea alba semper ad hanc seligenda, si umbilicus forte promineat, bene multum infra, perforator triangularis inseri debet.

Victus plerumque levis, nutriens, concoctu facilis esse debet, neque aegrum se de potu blando inutiliter torquere oportet: cum hic potius motum sanguinis ad renes promovere,

omnino aliter ac veteres imaginati sunt, videatur; maxime si cum supertartrate conjunctus: sed si non augere urinam compertum habeat aeger, tummelius erit, hac potus indulgentia non abuti.

Ascitem postremo relinquens, incertam, precariam remediorum opis indolem nimium dolere nequeo; votumque medicis omnibus est, ut inventa futura difficultates ambiguaque hujus mali pestiferi superare eos edoceant.

ASCITAE HISTORIA.

Domina M'C——— Aërensis, aetatis suae 59 in hyeme anni salutis nostrae 1814 oedemate membrorum inferiorum, signisque febris, cute arida, urina parca, caeterisque similibus affecta est. Tumor brevi in ventre deprehensus, omnibus ascitae notis instructus est. Frigori cellae humidioris, cui solidum fere diem obnoxia fuerat, mali originem attribuebat. Praeclari duo medici curantes, Digitalem, Scillam, Calomelas, Purgantia drastica, Supertartratem Potassae, alia demum communia auxilia frustra adhibebant. Tandem Paracentesis instituta multum humoris elicuit, subsequentibus rursus frustra diureticis, ut ante decimum octavum inde mensem illa iteranda esset. A nobis tum forte invocatis, quibus praeter recentem medicinae ibi exercitationem, etiam

cognatio quaedam cum aegra intercedebat, Digitalem cum Supertartrate Potassae iterum experiri persuasa est. Incassum quoque haec; atque paracentesi iterum, atque anno deinde iterum opus esse sensimus. Tertio etiam decreveramus, cum subito de nocte ante tempus constitutum accersiti, acutissimo abdominis dolore, praesertim apud umbilicum, pressu, etiam stragulorum pondere misere exacerbato, laborantem nacti sumus: pulsu cito, cute calida, nausea, omnibus demum acutae inflammationis enteriticae, vel potius peritoniticae indiciis comitantibus.

Sanguinis aliquantulum, largam enim missionem tanta tum praesens debililitas vetuit a cubito misi; purgationem ex Oleo Ricini, fomenta ventri calida applicari praecepi. Proxima aurora invisens fœminam ab urgente inflammatione in tranquillum satis statum, dolore fere omnino vacuam; quoque ventrem a summa tumefactione in summum collapsum, tam cito transiise, obstupui. Narrabat, sub actione purgantis se enormem humoris copiam per intestina ac vesicam emisisse; atque hoc

profluvium per totam noctem frequentissime repetitum esse, donec abdominis evacuatio absoluta esset. Sola signa ingrata quae postea experta est, erant leves dorsi dolores, syncopes sensus siquando e supino in erectum corporis positum resurgeret: atque haec fascia lanea circa ventrem facile compescuit.

Bidui quiete interposita, ut morbum radicitus opprimerem, Supertartratem Potassae et amarum infusum propinavi, et per menses octo, nullus deinceps tumor observatur. Tum vero redeuntem, variis diureticis frustra, licet valetudo generalis post crisin recepisset, aggressus sum. Denique decimo demum mense eadem phenomena praecursoria, eadem depletio ut ante facta est. Sanguinem hac vice mittere non visum; sed purgantia ut antea praescripta sunt, diureticis una roborantibusque frustra adjectis. Humoris enim accumulatio iterum incipiens quinto decimo dehinc mense, iterum eadem ipsissima crisi, iisdem praecursoribus licet dolore et teneritudine abdominis mitioribus evacuata est. Debilitas enim per hebdomadam adhaesit.

(*Oct.* 1. 1824.)—Quartum deinde mensem agit, cum valetudine generali haud mala pro aetate pene septuagenaria, praeter spasmos quibus torquetur; atque urinae copia haud ita exigua, sed limpidae, constanter excernitur. Solum medicamentum quod hodie sumit Supertartras Potassae: Scilla enim Digitalis et acriora vim ventriculi frangere visa sunt, tandemque effectu diuretico omnino privata esse.

Quod organici nihil in hoc morbo sit; 1mo, A generali bona mulierio valetudine probatur. 2do, A contractatione abdominis post paracentesin, quae aortam descendentem, propter maciem, facile distinguebat, nec tamen hepatis, vel cujuslibet visceris indurationem, augmentationem percipiebat. 3^tio, Urina limpida est, calore acido nitrico coagulum praebet.

Quo ergo artificio utitur natura, in hac mirabiliter periodica humoris ejectione molienda? An inflammatio, quam cumulus forsitan aquae concitasset, vasa absorbentia tandem stimulat? An febricula illa potius quam inflammatio accendit, quamque absorbentia semper

excitare alias videmus? An purgatorium medicamentum, quod semper statim cum excitatio coepisset, propinatum, hanc resorptionem promovebat? In omnibus utique crisibus, humoris evacuatio post purgatorii actionem plane confirmatam, incepit: sed necne haec sit vera morbi narrati ratio, vera purgantis utilitas, ipse incertus, aliis doctioribusque judicandum relinquo.

FINIS.